B N. C
FIRENZE
1054
8

Digitized by Google

1054 8

DISCURSUS
de
TURCICO BELLO
SACER

ILLUSTRISSIMÆ SERENITATI PRINCIPIS ET DOMINI, DOMINI DE PORTIA, PRÆFECTI MAJORIS AULÆ CÆSAREÆ, ET EQUITIS AUREI VELLERIS, PRINCIPIS ET DOMINI SUI CLEMENTISSIMI:

Scriptus ſubitaneo & curſorio ſtylo.

TRAJECTI ad RHENUM, Anno Salutis 1664.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872
1054
8

1054.8

DISCURSUS
de
TVRCICO BELLO
SACER.

LIberius forſan loquor, idque quamvis minimus pro publica neceſſitate: Excutite veternum; Exurgite è ſomno orbis Chriſtiani Monarchæ; & Poteſtates, ne navis illidatur ſcopulis, ne Reſpublica Chriſtiana peſſum eat. Procellæ ab Oriente æſtuant, & majorem tempeſtatem præſagiunt.

Bella tonant, dubiumque quatit diſcordia mundum.

Turca militem auget: In portibus ſuis tam Europæ, quam Aſiæ & Africæ naves bellicas inſtruit, nihilque quod ad excidium Chriſtianorum facit, intermittit: jam Daciam ſubegit, majorem in Pannonia partem Iſtri, Suvi & Dravi ab utrâque ripâ poſſidet; ulteriusque quotidiè progreditur: Poſt duas Hungariæ partes ab antiquo ſubjugatas & tertiam tertiæ nuper ſubtraxit. *Waradinum* & *Neüheuſel* optima verſus Germaniam propugnacula in manus Tyranni ceciderunt, viciniâ ſub legibus Mahometicis gemente; rapiunturque perpetuô divortiô uxores à maritis, ſeparantur filii à Parentibus. Hinc ſervitus, illinc miſeria, ubique ejulatus. Luget vicina Morâvia, trepidant Stiria & Sileſia. Aperta undique planities, nec montium clauſtra, nec fluminum, quæ morarentur hoſtem, ſunt repagula. Eò major metus, cum altius quid Turca meditetur, multitudinem formidabilem ipſe mox educturus ex Janitsharis & Spahis ſuis, ut & Aſiáticis & Europæis populis conglomeratam. Vicini Germaniæ Circuli; ut Auſtria, Bavaria, & Saxonia imminentem ruinam è ſpecula proſpectant; & longius diſſitis crudelior morbus, ubi tam nobiles artus Tactos viderint, ſe è longinquo oſtendit. Franconia & Suevia phtiſin metuit. Si unquam correſpondentes Circuli correſponderunt, jam correſpondentia inevita-

bilis & neceſſaria erit. Si unquam antiquitas vias vallis & foſſis muniit, ſi in ſylvis & cæſione arborum aliquod præſidium poſuit, id jam à parte Sileſiæ, Bohemiæ, & Bavariæ repetatur. Serpit enim irreparabile malum, cui nulla adhuc invenimus medicamina. Urgetur quidem univerſalis armatura, & ô utinam citius in publicas veniſſet curas. Quid Imperium absque armaturâ? quid Regnum absque defenſione, domus absque portà, ædificium absque tectô pluviis & furibus expoſitum. Erudiat nos aliorum Regnorum laudabilis mos. Succia ſuum veteranum & certum ſemper domi militem, Polonia ſuos Quartianos, à quarta parte redituum, quos capiunt, ita dictos, in eventum neceſſitatis habet. Et ſicuti in bello de pace, ita in pace de bello cogitandum eſt. Subſtantiale cujusvis Reip: eſt & Judex & miles, ille ut legum, hic ut terræ defenſionem obeat. Habuerunt quidem à ſæculo & plus Germani ſuam quam appellant Circularem defenſionem in receſſibus Imperii quibusdam, ſparſim delineatam, ſed illa noſtræ ætati non adeò convenit. Lenta eſt, & magis ad cohibendos quoſdam modici momenti motus, prohibendos militum tranſitus, avertendas particulares invaſiones, & executiones ſententiarum, inventa primùm videtur, quam ut majori vi & potentiæ par ſit. Cenſum forſan, quem *Collectam Turcicam* appellamus, rei ſufficere cenſebis, inprimis cum menſes triginta, quinquaginta & centum, majora Comitilia pendere ſueverint, unico menſe univerſali per totum S. R. Imperium ad minimum nonaginta mille florenos complente. Et duplicantur aliquoties, cum diverſa pericula diſtinctionem temporum, nimirum præteriti, præſentis, & futuri poſtulant. Ignotum hoc eſſe diſcrimen antiquitati dices? ſed ſcis novam ætatem nova ſæpiùs poſtulare inventa. Non tempus legibus, ſed leges accommodantur tempori. Quicquid autem ſit, & quocunque res cadat, dictæ Collectæ incommoda breviter perſtringam. Ubi evenit caſus, petito aſſentiuntur ſtatus, &. quidem voluntariè, alter in ære, alter in populo, alter plus, alter minus, alter juxta ſuum velle, alter juxta ſuum poſſe. Menſis ex quanto ſuo certus eſt: ſed quantum menſium liberæ linquitur tribuentium voluntati? Nec majora materia Collectarum admittit, usque dum aliud conſulto Comitiali placuerit. Solvendi terminos alius hos, alius illos paciſcitur. Nec pactio impedit, quin

adhuc

adhuc Fiſci officium ſæpius intercedat. Sic particularis ſolutio multum incommodi parit, nec periculo nec occaſioni medetur. Et ſi Collectam, prout veteres, ex *Communi denario* reduceremus, lentius res adhuc procederet. Durum etiam collectandi genus, quod Dominos & ſubditos ſimul exhaurit, & in quibuſdam collectandis capitationis ſpecies, nunc & quidem ab anno 1544. abolita ſit. Ideò, inquam, exemplo reliquorum Regnorum militia perpetua requiritur, ita tamen ut priſtina Circulorum jura in ſuo relinquantur integro. Et multa protulit antiquitas, quæ noſtris moribus conveniunt. Sed an armatura illa ſolum defenſiva, an & offenſiva eſſe debeat. In pace ſit defenſiva & mediocris, in bello offenſiva, & hoſtili invaſioni proportionanda. Modo baſis adſit, res deinde haud difficulter cedet, ubi etiam augmentum quæratur. Scis enim, offenſionem plus quid requirere. Germani, quamvis multum ex præteritâ belli calamitate decreverint, ſatis tamen adhuc habent, quo ſe tueantur, & ex quo bellum gerant. Teutona terra potentes adhuc alit Principes, ut cæteros, & quidem Eccleſiaſticos taceam, ſunt Elector Bavariæ & Brandeburgi, Principes Palatino-Neoburgus, Brunſvicenſis, & Wirtenbergæ. Quid de Saxoniæ opulentis terris, Heſſiæ vires quouſque ſe extendant, præterita docent. Sunt & civitates non ignobiles, Hamburgum & aliæ adhuc, quæ volunt agnoſci pro liberis: contribuant interim. Quod autem urbes Imperiales attinet, inter illas Colonia imprimis, Norimberga, Argentoratum & Francofurtum caput erigunt. Potentiæ ſatis habet Germania, quæ forſan, ſi qui ceciderе, defectum illorum auctæ aliorum Vires ſupplent. Si ex æquo cenſus imponitur, nihil univerſo decedit. Decrementum unius ſupplet augmentum alterius, niſi quid Imperio decreverit. Debiliores Circuli quod fatentur ſunt Suevicus & Rhenanus ſuperior. Uterque quòd in univerſali & particulari moderationem petat, juſtum ex evidentia conditionum erit. Erunt alii contra, qui cum in optimo rerum verſentur ſtatu, nec per ſomnium de diminuendo cogitabunt cenſu. Ita Germania abſque noxa militem & numeroſum, & in quibuſdam locis expertum rei militaris, & veteranum, tenebit. Regatur ſolùm, quod optamus, unâ mente, quam ſæpè bella externa expreſſerunt. Vicinus, ubi domum vicini incendio tangi animadvertit, de aqua aſportanda cogitat. Et Germaniæ circuli ſi ſervari velint, mutuô auxiliò ſibi reſpondere debent: Nec an, quis vicinus, aut longè diſſitus ſit,

jam quæratur. Unò infectò membrò, reliqua venenò proxima ſunt, ubique etiam illa natura locarit. Aucta hoſtis potentia & vicinum, uti longinquum invadit. Minima horologii rota ubi læſa eſt, omnem horologii uſum demit. Domus cujuſdam deſtructa habitatio totius domus uſum lædit, totam imò domum deformat. Sic & minima ſtatus diſcrepántiâ Imperium læditur. Nolo potiùs abſtruſè loqui, Totum corpus laborat: ſingula id membra ſentiunt. Morbum quotquot ſumus intelligimus, ſed quod pejus eſt, illud in promptu inventum remedium non arripimus. Plura ſcribere non licet, cum omnia Laicis conſtare non debeant. Deliquium patimur: morbum non ignoramus: Medelam petimus. Quod morbo expellendo ſatis eſſet, id alto ſpernitur ſupercilio. Forſan alter Germaniæ ſtatus alteri invidet: Forſan potentior minorem premit: Forſan hic illum contemnit. Forſan Germanica Comitia morbo mederi nequeunt, dum nimio ſuffragantium numero laborant & adſit honori conſeſſui, nec abrogetur minimum veritati: ſatis lenta ſunt, damno afflictorum, & ſtatuum comparentium non mediocri ſumptui. Conſumitur in Comitiis, quęcunq; etiam ſint, quantum exercitui alendo per tres annos par eſt. Abſit ut accuſem nationis meæ conſuetudines. Hoc interim nullus negaverit, quod potentior inter nos minorem premat, quod hic illum odio plus quam Vatiniano proſequatur. Trahuntur Comitia, etiam ubi neceſſitas ſummam neceſſitatem efflagitat. Priuſquam unum formetur unius Collegii Concluſum, multi dies elabuntur. Interjiciuntur communi malo aliæ præter propoſitionem materiæ. Phaleratæ ſonant orationes. Qui novi nihil dicunt, verba tamen adjiciunt, ut ſolùm tempus terant, & papyrum verbis impleri faciant. Accedunt variæ de ſedibus & titulaturis proteſtationes, præſertim cum in foro diſputetur, cui deciſio rei non competit. Talia nauſeam aſſidentibus, & tempori diſpendium creant. Sic hora horam trudit, & uni deliberationi vix aliquot ſufficiunt dies. Si vota ex æquò Laconicâ brevitate dicerentur, non perorando, ſed ſuam mentem explicando, deliberandum paucarum horarum ſpatio determinari poſſet. Nolo hic de defectibus Comitiorum noſtrorum loqui, qui erunt, donec Germani. Ponitur hęc materia in *inſtrumento Pacis Oſnabrugenſis* inter materias remiſſas, nec nomen illud amittet. Quantæ molis eſt, in unum conſenſum collegia redigere. Et vocabulis ſubtilitates quæruntur, ſicque in

Criticos

Criticos aliquando tranſeunt,qui Imperii Senatores ſunt. Non neceſſitas, non propria diſpendia, non ingentium ſumptuum, quos longa vorat diæta, ratio, non vicinorum Regnorum magis laudabilis conſuetudo nos à tramite illo, in quo ambulamus, revocare poſſet. Suecos & Polonos ſuos conventus vel bimeſtri vel trimeſtri ſpatio concludere in propatulo eſt, cum plurima decidant, & horum diæta ex plurimo Clero, Senatoribus & Nuntiis Provinciarum non minùs, quam Gothica Comitia, præter Eccleſiaſticos, Nobiles & Civitates, etiam ex ruſtica gente, cui & antiquo jure ibi competit votum, & ſic utriusque populi conventus, non ex minore multitudine, conſtent. Inhæremus Patrum veſtigiis, à quibus vel latum unguem diſcedere eſſet Germani nomen amittere. Melius foret pauca loqui, & ubi opus eſt verba in milites mutare, campumque potiùs exercitu quam chartam verboſitatibus implere. Non hæc profero, quod cenſorem agere velim, ſed quod illa, quæ nociva nobis ſunt, & omnibus patent, occaſione præſentis calamitatis ſubitaneò ſtylo tangam. Mira res eſt, ab alto proſpicere tempeſtatem, & carinam, cum adhuc ſalva eſt, ab ingruente vi fluctuum non liberare. In mediis undis vicinus vicinum relinquit, Ita Græciæ Deſpotæ ſub Ottomanicam decidere tyrannidem. Illi ipſi inter ſe diſcordes, & cum Venetorum ſubſidia non invenirent, naufragium paſſi ſunt. Diſcordia diſcordes perdidit, & vicinos, quod vicinis auxilia non tulerint, opprobrio & damno affecit. Sic non mediocris Chriſtiani Orbis pars à ſuo avulſa eſt corpore. Ita fides Chriſtianorum cum Imperio minuitur. Ita propriâ Chriſtianorum culpâ luci Euangelii Alcorani ſuccedunt tenebræ. Priora exempla in cautelam futurorum nobis jam ſcripta ſint, ne & cum culpâ major afflictio in nos cadat. Solum Turcæ nomen omnes in prælia trudere deberet, cum & animæ, corporis, & bonorum pericula indicet. Qui Turcam appellat, latronem nominat. Subeat mentem horrenda metamorphoſis, ubi quid in illorum poteſtatem tranſierit. Quos ſervant è ſedibus ſuis in alienas per exilium tranſplantant, abolitis Eccleſiis, extirpatis virtutum ſeminariis, eradicata nobilitate, ſive feci plebis æqua facta, & quæ ſunt innumera. Quàm miſerè ſub illorum vivatur jugo, experta eſt Græcia, olim mater artium, nunc ergaſtulum vitiorum. Qui Turciam peragrant, obſtupeſcunt ad tantæ mi-

ſeriæ aſpectum. Sunt quidam adeò inter Christianos cæci, quòd ex eo Turcas elogio extollant, cum Chriſtianis liberum exercitium fidei concedant. Sed non ponderant, ſub quo rigore id fiat, horrenda nimirum capitationis lege, quæ & ad infantum tributum excurrit, ex quibus poſtea ſuos Janitzaros creant. Nulla ibi proprietas bonorum, Nulla & vitæ & rerum ſuarum ad momentum ſecuritas. Nihil inter illos fidei; frangunt pacta, quoties è re ſua judicant, inſignes perfidiæ cultores. Continuò metu vivitur. Crudele ſanè eſt, quod nec minima nobilitatis habeatur ratio. Bonæ indolis homines & claro ſanguine ſati cum fece promiſcuè habentur. Sæpè Baſſarum: qui apud illos conſiliarii & ſummi Provinciarum Gubernatores ſunt: filii in Bubulcos & opiliones mutantur. Non merita patrum miſellis illis, nec propria, patrocinantur. Nihil inter Barbariem & Virtutem diſcriminis. Ubi præmium virtuti ſuſtuleris, & ipſa virtus labaſcet. Spreta ſcientiarum cura, omnis politia ad comprimenda ingenia dirigitur. Tota ſervitus, nullà libertas. Et quem hæc non excitent? Peccat ſanè ille, qui in periculo verſantem, ubi poteſt, non liberat, & ſimilis culpę reus eſt, qualē ſubit ipſe aggreſſor. Quantò magis, ubi vicinus Chriſtianus Chriſtiano in diſpendio animæ, corporis, & fortunarum conſtituto non ſuccurrit. Plures taliter afflicti ſuum etiam Deum ſæpiùs linquunt ex unâ deſperatione cadentes in aliam. Et tamen, qui tam grande patrarunt nefas, ſpe ſolùm mitioris vitæ priſtino linquuntur rigori. Perpetua vincula, & ut plurimùm ſqualidus carcer deplorandum illum comitantur ſtatum. Ubi catenis vincti è ſeriè miſerias ſuas enarrare deberent, etiam illos ſtupidis horrorem incutere dixerim. Plura de Barbarie loqui ſupervacuum eſt, cum mille illius ſpecies jam peritioribus conſtent. Unicum, quod à deteſtando populo in illius perniciem mutuaremur, eſſet optimus in bello ordo, cum ſtrictâ & cæcâ, quam ducibus ſuis præſtant, obedientiâ, cui accedit vini & mulierum in militiâ capitale odium laborem & temperantiam ſociant ſolertiæ, obedientiam & fidem jungunt, câque mixturâ Turcarum militia noſtram antecellit, ultra quod pro ſuperſtitione & domino ſuo omne lubente & prompto animo impendant. Si miles & in minimo peccat, nihil ſibi veniæ promittit: ſtringuntur guttura nodo, nec peccatum niſi morte expiatur ſtricto militiæ jure, & cæteris exemplo, & adhortamento. Ubi bello ſe parant, inprimis anno-

annonam curant, prodigalitatis ſummi oſores. Non cum adeò imbellibus belligeramus. Malum id eſt, quòd multos inter ſe alant & apoſtatas, & noſtrarum rerum gnaros. Pejus adhuc, quòd muneribus quorundam animos flectant.

Auri ſacra fames, quid non mortalia cogis pectora?

Peſſimum verò, quòd emiſſos ab illis exploratores non noſcamus, Evigilemus, quod enim ſemel ſubegêre, difficulter rurſus ſibi extorqueri patiuntur. Non quidem novum eſt, gentem illam ſæpiùs & occupata perdidiſſe, teſtantibus præteritis Hungariæ bellis, ſed quâ operâ & quibus diſpendiis, quisque judicabit. Exurgite in opem afflictorum Chriſtiani orbis Proceres. Qui jam pro Chriſtiano nomine moriuntur, in perpetuum vixiſſe cenſentur. Deponite Pannoniæ populi internum odium, privatum lucrum. Non exigua veſtri mali pars eſt, uti religionibus, ita animis, ſimulque quaſi diverſis gentibus, in uno Regnò diſcriminari. Razii multum inclinant in Turciæ amorem. Antiqui inter Tranſylvanos Saxones Pannonibus, hique illis non fidunt. Siculi ex libertate tributi reliquis exoſi. Huſari & Heiducki, hi pedites, illi equites, populantur aliquoties in proprio, quaſi in hoſtico eſſent, & Uskocki marisaccolæ aliquando laſcivire audiuntur. Abrogentur hæc conciliatis animis. Ruminemus nobiſcum, quid poſt infelicem Ladiſlai cladem inteſtina Hungariæ profecerint odia. Sic alba Græca clavis Regni ab infidelibus primùm rapi, poſtea metropolis expugnari, arces, urbes, oppida & provinciæ ſubigi, & nobiliſſimum Regnum devaſtari cepit: Regnum ante alios populos auro, vino, frumento, armentis, paſcuis, ſylvis, & aquis felix, ita ut dicere poſſis quod, *hæc ferat omnia tellus.* Recordamini coronam vobis *cælitùs emiſſam*, concordiam poſtulare. Abiit Bulgaria, Valachia, Moldavia, Raſcia, Croatiæ, Dalmatiæ, & Sclavoniæ maxima pars. Satis perditum, reliqua ſerventur, amiſſa armis repetantur. Deplorandus quidem Pannoniæ ſtatus eſt, ſi vera fateri velimus, cum illa terra ſit Chriſtiani orbis propugnaculum continuis agitatum bellis, ſed ita infidæ viciniæ malo. Quantum mutationis ſola Tranſylvania terræ huic attulit? Sub Bathoriis ſurrexit ignis è favillis, ſub Gaboriis ſe auxit, ſub Ragoziis planè in flammam ſe extulit. Provincia ſibi, & aliis gravis.

Sed

Sed in viam ut redeam, nolo mala recenſere, Panacæam potius quæramus. Res enim communis nunc agitur. Quo plus Ottomanniæ portæ accreſcet, eò majus orbi Chriſtiano impendet periculum: ſatis Chriſtianis potentiæ eſt; Ultrà enim, quòd univerſali ferè ex Divino beneficio fruimur inter Chriſtianos pace, niſi quòd Polonus cum Moſco, Hiſpaniæ Rex cum Luſitano decertent. Si ſuum cuique redderetur, facilis eſſet pacis conventio. Sed dum quid cujuſvis ſit controvertatur, altero antiquiorem, altero ultimam poſſeſſionem pro æqua tenente, nec enim in cauſas & vera inquirere hujus loci eſt: neuter occupatis libenter cedit. Hinc difficulter pax ſperari poterit. Treuga tamen ſub illo, quod interim cuivis poſſeſſio ſua manere illæſo prætendentium jure manere debeat, amore Chriſtiani nominis, dictis Poteſtatibus nunquid glorioſa eſſet? Et motus illos, qui inter Pontificem & Regem Galliæ verſantur, ut inter Patrem & Filium facilè componi poſſe ſperamus. Sic pacato Chriſtiano orbe omne contra Turcam congeri poſſet. De potentiâ quis dubitet? Solum Hiſpaniarum Imperium ſua quæ habet, non terrarum, ſed coeli Regionibus dividit, mari juxta & terra potens. Et cujus ſanè intereſt, Turcicas imminutas videre vires.

Gallia nonne eſt hominum & opum ferax, quæque ſemper docente Ludovici Noni hiſtoria ſuum contra infideles odium ſatis ſuperque teſtata eſt. Nec tractûs Septentrionis conſortium armorum & militum, quos laboris patientes & expertos alit, unquam ob conſtantem Chriſtianæ fidei amorem, quo flagrat, denegabit. Non Batavi ſuo muneri deerunt, cum & Pyratæ Turcici illorum commerciis multum damni inferant. Luſitania & Dania ſuum præſtabunt, quamvis de hac potiùs, quam de illa quid certi mihi promiſerim. Magna Britannia & partem divitiarum contra communem hoſtem eò lubentiore animo impendet, cum Cronvellano-Turcicæ intelligentiæ recordatur. Polonia jure viciniæ, & periculi ad ſocietatem armorum obligatur, cujus inprimis miles ſemper Turciæ ſuſpectus & formidabilis fuit. Proceres & Reſpublicæ Italiæ, ubi quiete internâ gaudebunt, ſuum etiam ex ſolito pendent; inprimis Veneti, quorum onus jam Turcâ in varias partes tractô levius factum eſt. Cogant deinde hoſtes ſuum prætorianum militem Aſiaticos populos: Excitent ſuum Græciæ Beglerbecum: Vocent clientelares ſuos, Tartaros nimirum:

Et videbimus conatus eorum. Diſſipabuntur, ut Paleæ à vento: Tingentur flumina ſanguine Barbarorum, & operietur terra cadaveribus eorum.

Omnis in hoc uno variis diſcordia cedet
Ordinibus, gaudebit eques, plaudetquè Senator
---- ---- ---- *nec terminus unquam*
Romanæ ditionis erit.

Ridiculum eſſet, ubi totius Chriſtiani orbis machina parem Potentiæ Turcicæ exercitum legere & alere non valeret. Solam optamus inter Chriſtianos unionem, quam ubi Deus nobis conceſſerit, omnia ex voto cedent: ſed illam potiùs optari quam obtineri poſſe regeres. Facilè concedetur, ubi livorem ſuſtuleris, nullum in fide, nullum in bonis turbando: ſi cuilibet Religionis & conſcientiæ libertas, liberque rerum ſuarum uſus, intra tamen cancellos legum linquetur. De ligis aliquid audire mihi videor, ſed parùm proſperè ceſſiſſe illas, loquuntur annales, teſtaturque ſatis Thuani hiſtoria. Quid fœdus Pii V. Pontificis, Regis Hiſpaniæ, & Venetorum? Quid inſignis ad Ehinadas victoria victoribus profuit? Tum de magiſterio militis controvertitur, tum ubi hoſtis invadi debeat, quæritur. Singuli ſuum lucrum, privatumque magis quam publicum cordi habent. Dum deliberatur, Saguntum perit. Tutius eſt ſubſidio voluntario adeſſe, invaſum arbitrario auxilio juvare, illique directuram illimitatam, & uſum liberum militis permittere, quò promptius agi, conſilia citiùs determinari, & quod ſemel ſtatutum eſt, abſque mora perfici queat. Varia directorum capita, cum in varias mentes abeant, plerumque negotiis agundis remoræ & obſtaculo ſunt. Satius eſt, ſi à multis ſuſtententur: De portiunda præda poſteà æqua erit conventio. Non benè convenit, ante urſum captum de ercíſcundo loqui: Semoveatur, quicquid controverſiarum alimentum, & quod altercandi materiam ſuppeditare poteſt, ne à malo in pejus, ne à charybdi in Scyllam incidamus. Parandi belli urgens neceſſitas talia jam non patitur. De nervo rerum gerendarum agendum eſt, ut miles legatur, acies formentur, prælia inſtruantur, amiſſa recuperentur, periclitantia defendantur. Si qui inter Germanos moderationem petunt, illa ne tributo intercedat abſque ſufflamine,

&

& breviter examinetur, gravaminibus per certos ex Circulis gravatorum lectos moderatores, an vera an juſta ſint intra præfixum terminum trutinandis. Et quoniam aliquorum poſſeſſiones ita ære alieno premuntur, ut nec publica poſſint inferre tributa, nec ſuis poſſeſſoribus producere emolumenta, privatum onus cedat publicæ neceſſitati. Quieſcant parumper creditores, dilatô, non abrogatô debitô. Cogitent Fatales belli caſus utrique communes eſſe. Si quid fortuiti privato accidat, æquitas authenticam, *Hoc niſi, moratoria, beneficium ceſſionis & competentiæ* invenit: Cur ſi publicum quid adverſi patiatur, id durioris erit conditionis? Nec nimis incurioſus ſit creditor, nec plus æquo delicatus debitor. Sed & reſpirium illud, ultrà quàm par eſt, non extendatur, ſtet potius intra terminos ſuos, ne apud exteras nationes fama Germanorum inde lædatur. Sic & hæ, quæ in noſtris Comitiis ſubnaſcuntur difficultates, ſuperari poſſunt. Nec indictionibus tantum memorati defectus detrahent. Satis omnium, quæ poſtulat bellum, modò in tempore curentur. Nec annonę penuria Germanos premet, ſatis frumenti, modò illi ſervando & frugaliter diſtribuendo horrea publica locis congruis parentur, ne deficiente pane plus militis fame quàm gladio cadat. Prohibenda etiam ad Barbaros illarum rerum exportatio, quæ illis in commodum cedunt, de quo inprimis monendi maritimi populi: Inſtruenda ſunt curandis ægrotis Xenodochia: Deſtinanda ſolum præſenti periculo in Germania militum lectio: Præcidendæ belli civilis radices: Extirpandi odii interna ſemina. Tollamus & illa, quæ apud ipſos Turcas exoſa ſunt: Obedientiam & Ordinem volunt, vino & veneri, ubi in militia ſunt, odium capitale indicunt. Si hęc & apud noſtros valerent, quantum illos poſſe crederes? Et peritia hoſtilis modi militandi Chriſtiano militi neceſſaria. Sciuntque hoc ſatis Pannones, viciniâ, & continuis eruditi conflictibus: Inprimis limitropha benè cuſtodienda. Nec tantum de defenſivo, ſed & de offenſivo cogitandum eſt bello, quod magis numeroſam militiam, & ſuos multo pretio emendos efflagitat exploratores. Numeroſior inquam miles deſideratur: ſed & hic non deficiet. Quid vetat? quin ſola Germania quinquaginta mille armatos ſuppeditare valeat, cum duo vel tres pagi unicum ſolum militem ſuſtentent. Quid ſi Eccleſiaſtica bona communi neceſſitati ſubveniant? Quid ſi illud, quod in quibuſdam locis in luxum

conſu-

conſumitur, ad modicum temporis ſpatium ærario militari permittatur? Satis inde erit, quò bellum etiam trahi poſſet. Totus in eo verſabitur cardo, quod avita Germanorum confidentia pedem referat, quod pax multo ære & ſanguine empta ſanctè ſervetur, quod animo & mente Teutones cohærcant, quòd ſuum unicuiquè reddatur, quòd nec potentia invidiam, nec debilitas contemptum pariat, quòd Juſtitia & Politia æqualiter adminiſtrentur, neque eminentior ſtatus ante minorem majus quid, quam ex ſive pacto, ſive privilegio, ſive antiquo & interrupto jure habet, ſive in bonis, ſive Regalibus, ſive dignitate poſtulet. Si omnibus ſua intacta manebunt, ſi quid cuivis competat, ad tria tempora, nimirum ætatem Friderici Secundi, Caroli Quarti, & noviſſimæ Sanctionis pacificæ reflectetur, ſua ſingulis dignitas, ſua functio conſtabit. Piaculum ſit, plùs velle quàm æquum eſt. Lætabitur omnis populus de harmonico illo concentu. Cumque ſingulæ corporis partes ſuum trahent alimentum, eò majore gaudebunt vigore. Sic capiti & membris conſulitur, ſic interna pax firmatur, ſic domeſtica ſtabilitur quies: ſic firmiore contra hoſtes pugnatur animo. Singuli munia ſua alacriter obibunt. Univerſi florebunt. Directorium unius ſit, miniſtrantibus ſuis organis. Duo capita non corpus ſed monſtrum formant. Et cui tale directorium meliore jure competit, quam Auguſto noſtro Cæſari, invicto & Divo LEOPOLDO, cujus & ſancta origo, & ingentia in Rempublicam merita nullum fugiunt: Cujus majores tot ediderunt contra hoſtem Chriſtiani nominis ſpecimina. Contremiſcit ille audito Auſtriaco nomine, quod ſemper Barbaris illis fatale fuit.

Illi Juſtitiam confirmavere triumphis,
Præſentes docuere Deos, hinc ſæcula diſcant,
Indomitum nihil eſſe Piis.

Cum avitis Regnis & ditionibus avitæ in noſtrum Imperatorem tranſiêre virtutes, & ubi Sereniſſimam illam domum nominas, omnia cœleſtis animi ornamenta includis. Quot triumphis ſuos clypeos ornat? Quot Imperatores recenſet? Teſtes eſtote anteacta tempora, quam fortiter Heroës illi rei bellicę ſemper profuerint, & quoties orbis Chriſtianus premente

premente duro afflictionis telo in ſinum Auſtriacum confugerit. Ut plurimum, obliti ſui gentibus vixerunt:

Nulla relicta foret Romani nominis umbra,
Ni Pater ille tuus jamjam ruitura ſubiſſet
Pondera, turbatamque ratem, certaquè levaſſet
Naufragium commune manu.

In tam arduo humanarum rerum ſtare faſtigio, & ubi tempeſtas, & ubi Serenitas ſit, deſpicere, quid Divini portendit. Sancta tua ſtirps Invictiſſime Cæſar tacita naturæ propenſione ad adorandum te impellit.

O nimium dilecte DEO, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad Claſſica venti.

Princeps, quem non urna, non ſors, ſed optima nobis dederunt eligentium ſuffragia. Beati cives! quos tali obſequii gloria bearunt fata. Quanta ſub hoc Imperio, quam dulcis, grata, & legibus ſuis conſtans libertas. Hinc eſt, quòd omnes Cæſarem ut Patrem ſuum ament, & illum inſtar ſideris orientis colant. Et plus adhuc illius virtuti debemus, quod Majeſtas illa ſpretis etiam hyemis nivoſæ injuriis Ratisbonam nunc ſe contulerit, & quidem paterno affectu, ut nimirum nutantem Rempublicam erigat, ſalutem communem promoveat, è lethargo etiam illos excitet, qui ad tam ſævientem tempeſtatem obdormiunt. Hoc eſt togâ & ſagô honeſtari, ad utrumque tempus tam belli quam pacis obfirmato ſtare animo, majeſtatem humanitate, fortitudinem miſcere manſuetudine, & in tanto humanæ conditionis faſtigio, nullo etiam minimi vitii confinio lædi. Talem in hoc rerum ſtatu Imperatorem habere debuit Romanum Imperium, Patrem in Pace & Ducem in bello.

Digna legi virtus, ultrò ſe purpura ſupplex
Obtulit, & ſolus meruit regnare rogatus.

In tempus incidiſti, quod te gubernaculis admoveri neceſſarium erat.

Æoli

.. commendant, & ad immortalitatem ſa- facit, dum triumphos majorum auget, ..cta Divi noſtri Leopoldi oſtendit. corpori vulnus, eò accuratius explo.. .tur fato præſens turbulentia emerſit, ut ſaltem ..delem habeamus parentem humani generis, ..concuſſæ Reipublicæ Reſtauratorem. Ingens .., major gloria, invictus animo & potentiâ, charus omnibus, di- ..us à ſuis, deſideratus ab exteris, formidabilis hoſtibus, ſupra etiam ..tatis ſuæ fortunam poſitus, & unicæ dignus, cujus nutu terræ & ..regantur, mortalibus oſtendit, quòd *ſolâ virtute ematur poteſtas.* ..chardi ex Angliâ, Jacobi in Scotiâ, Wenceſlai in Bohemiâ infelix ..men fuit. Et quid myſterioſi ſæpiùs in titulaturâ latitat? Nomina ..um, ſi Zoïlus eſſe velis ex Leopoldis, quem non inclyta fama de- ..et. Et noſter Imperator primus eſt hujus nominis inter Cæſares, ut ..enotet, licet bonos, meliores tamen regiminis moderatores illum anteceſſiſſe, talemque eſſe, qualem præſentia tempora volunt, & ..oderna orbis Chriſtiani facies poſtulat. Admittis in animum tot ..eipublicæ curas? Obliviſcitur Majeſtas ſui, quæ aliis nata eſt, dum orbis faſta ſuſcipit, dum molem Imperii ſuſtinet, dum in propulſandos ..oſtes omnem cogitationum vim vertit, Atlas publicæ felicitatis, mun- ..elicium, ſpes afflictorum, terror hoſtium: *ô mundi communis Amor!*

Dividis ingentes curas, teque omnibus unum
Objicis

..is non ad tot merita reflectat, niſi planè ſtupidus, cum illis quo- ..idie nova adjicias teſtando id ſatis ſuperque dum præſentiâ Majeſtatis tuæ ceu novo Sidere diætam præſentem illuſtras Spiritum quaſi no- vum conſiliis & deliberationibus addendo. Magna quidem gloria, ſed ingens onus. Quantum eſt tot populos regere, tot ab injuriis & rapi- nis defendere, noctes diebus in curis publicis jungere, de tot nationi- bus cogitare, purpuram ſumpto thorace mutare, haſtam poſito ſci- pione capere, à throno in campum, à curuli in equum ſe transferre. Hoc firmat Regna, auget trophæa, cumulat victorias, ſervat populos, domat hoſtes. O felix Romanum Imperium tali moderatore, cujus &

præſens

præſens Comitas, & temperata ubique ſever quibus hoſtes debellari ſervarique populus on . probrari iſtis debet, qui ingruentia pericula, quod Barbari nunquam Sereniſſimam ſe laceſſerint. Sæpè modica militum manus na fudit: Sæpius cum immanis illorum & horri ſis Chriſtianis excidium minaretur, inſperata hoſte adhuc excidit, Carolum Quintum in mediam Turciam trabeas triumphales, & ſellas protuliſſe curules:

Unus tot funera contra
Reſtitit extinxitque faces, agrosque Colonis
Reddidit & lethi rapuit de faucibus urbes.

Non tam rarum eſt, virtute Auſtriacâ Moſcheas in templa, delubra in Ecleſias verti. Evigilemus ſolùm, noſtroque Capiti promptum & fi[illegible] præſtemus officium. Sicut ab illo mari in nos beneficia fluunt, it noſtri debiti munia ſe in illud exponerent. Suam quilibet in eo ſalu poſitam eſſe, taleque ſervitium, & Vaſalli legem, & ſubditi fidem, & commune Chriſtiani nominis requirere bonum, altiùs ſecum cogitet. Alias *ſubductis ruent tecta columnis.* Animum inprimis nobis Germanis augeat Cæſarem noſtrum non minùs optimi, quam Leopoldi nomine noſci, & potiùs illius Sacri Imperii poteſtati invideri, quam noceri poſſe.

Eſt aliquod meriti ſpatium, quod nulla furentis
Invidiæ menſura capit.

Deus illi, qui in eo totus eſt, ut ſubſidia Reipublicæ erigat, exanimes recreet, dilapſa colligat, Divo nimirum noſtro *Imperatori Felici, Pio, Auguſto*, immortales triumphos & Neſtoris annos concedat, tantumque meis detrahat, quantum Parentis humani generis ætati addere velle. Ita fovet ſuo Cæſari

Humillimo animo

Author.

1054 .3

-11 957498